

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio de arduo justificationis articulo hominis
peccatoris coram Deo**

**Pregitzer, Johann Ulrich
Sellinger, Johannes Friedrich**

Tubingae, 1638

[urn:nbn:de:bsz:31-128782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128782)



60A 2690 R

Sum
M. Caroli.

I. N. D. N. I. C.
DISPUTATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA,
De
ARDVO IVSTIFICATIONIS ARTICV-
LO HOMINIS PECCATORIS CO-
RAM DEO

Ex dicto D. Pauli ad Rom. 3. v. 28.

Λογίζομεθα ἕν τις εἰ δικαιώσεται ἄνθρωπον χάρις
ἐργων νόμος.

QVAM

Ex decreto & Autoritate Venerandæ Facultatis THEO-
LOGICÆ, in Almâ hâc Tubingensium Vni-
versitate,

SUB PRÆSIDIO

Viri plurimum Reverendi & Praclarissimi,

Dn. IOHANNIS VLRICIPRE-
GITZERI, S. S. THEOLOG: DOCTORIS,
EJVSDEMQVE PROFESSORIS PVBLICI CELE-
bratissimi, Ecclesiæ Tubingensis Pastoris & Vicinarum Super-
attendentis Vigilantissimi; Domini Patroni, Præceptoris
ac Hospitis sui longè colendissimi, & Parentis
loco honoratissimi,

Pro assequendâ LICENTIÂ, & in S. S. Theologiâ DO-
CTORIS GRADU, PVBlice ET SOLENNITER,

Defendendam suscipiet,

M. Iohannes Fridericus Sellinger, Argen-
toratensis.

Mense Martio ejusdemq, diebus 2. & 3. horis & loco consuetis.

TUBINGÆ,

Typis & Prælis Johannis Cunradi Geyssleri Junioris,

ANNO M. D. C. XXX VIII.

INSTITUTIO IN THEOLOGIA THEOLOGICA
DE
ARDVO INVESTIGATIONIS ARTIV
LO HOMIN RECTORIS CO

D. JOHANNES VON SIEGEN
C. THEOL. S. THEOL. DOCTORIS
PUBLICVS PROFESSORIS THEOLOGICVS
PUBLICVS THEOLOGICVS THEOLOGICVS VINCENS SUPER
PUBLICVS THEOLOGICVS THEOLOGICVS THEOLOGICVS

THEOLOGICVS THEOLOGICVS THEOLOGICVS
THEOLOGICVS THEOLOGICVS THEOLOGICVS
THEOLOGICVS THEOLOGICVS THEOLOGICVS

TU BICOR

Zu



Serenissimo Principi ac Domino,
Domino

EBERHARDO

DVCI VVIRTEMBERGÆ ET TECCIÆ;
COMITIMONPELGARDIÆ, DYNASTÆ
HEIDENHEMII, & C. DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

ILLVSTRISSE PRINCEPS.

RESTITVTIONEM, ET RE-
ditum in Patriam V. C. gratulor
ego seriò & ex animo Patriæ ipsi,
CELSITVDINI VESTRÆ
& mihi,

Exoreris post longam & tristem Eclipsin
novus Patriæ Sol. Serenum hoc post horribi-
lem & diurnam noctem diurnius & soli-
dus præstet Sol Iustitiæ IESVS. Gaudium
meum testor inscriptione Disputationis hujus
solennis & gradualis, cui â SERENISSIMO
NOMINE V. C. lucem aliquam foenerari
volui.

A 2

Est

Est illa non de Restitutione V. C, sed humani generis sub statu destituto per lapsum Adami miserè gementis restitutione scripta.

Facta est hæc gratiâ non humanâ sed divinâ, pretium quod solutum est, non argentum, quodq; in mare volvitur aurum: Sed Sanguis Regis Sionis IESV CHRISTI. Hoc lytron fides apprehendit, hoc pretium sola sibi applicat: Hanc solam intuetur, qui justificat impium. Ita justificamur, ita restituimur in amissum regnum miseri & extorres. Accipe serenâ fronte hoc quicquid est, PRINCEPS ILLVSTRISIME, & Clementiâ Tuâ me dignare. Salve, ILLVSTRISIME PRINCEPS & Patriæ bono redux perenna.

CELSITVD. V.

Humilimus Client.

M. Joh. Frider. Sellinger
A. & R.

Disputatio Theologica.

DE

Justificatione hominis coram DEO,

Ex dicto Pauli, Rom. 3. v. 28.

Arbitramur hominem justificari fide; sine operibus legis:

Thesis I.



Era doctrina de justificatione hominis coram DEO per fidem, Dn. nostri IESU CHRISTI, est ἀρεθωσις, ἁγιωσις καὶ ἁγιασμοῦ totius Christianæ religionis, quæ stante, stat Ecclesia; ruente autem, ruit ipsa quoq; ut verissimè scribit B. Lutherus in Enarrat: Psal. 130, Tom: 4. lat: Ienenf: p. 486. fac. 1. ex Augustino in Ench: ad Laurent: cap. 64.

2. Hinc est, quod caput illud fidei nostræ, ad eò impugnetur à nostris Adversarijs.

3. Cùm autem secundum commune illud, at verissimū Theologorum axioma: De vnoquoq; dogmate Christiano, judicari debet ex propriâ sede, hoc est, ex illis Sacræ Scripturæ locis, ubi ex professo illud tractatur; Nos quoque id studiose observantes, dictum hoc Apostoli, de integro hoc Argumento, exactissimum & accuratissimum, tractabimus.

4. Et primò quidem, *Quid D. Paulo hoc in loco sit justificari,* dispiciemus: Deinde examinabimus, *Quid sit fide justificari,*

A 3

absq;

absq; operibus: Et tertio, An rectè dicamur SOLA fide justificari, excutiemus.

5. Primò autem, Quid Paulo sit justificari? de eo disceptatur, Num justificare, in hoc articulo sit iudiciale & forense, num verò in prædicamentum Qualitatis, locandum vocabulum? Prius Adversarij audacter negant, & ad prædicamentum Qualitatis referunt: statuentes, justificare idem esse, ac quod ex injusto per infusum justitiæ habitum justum facere, adeòq; justificari, esse justitiæ habitu imbui, vel ex impio, infusâ qualitate, per acquisitionem habitualis justitiæ justum, vel ex justo, per justitiæ incrementum, magis justum fieri. Nos prius verissimè affirmamus, aliter de justificatione nostra non loquentes, quàm ex Scripturâ Sacrà didicimus.

6. Certum autem est, tam in Veteri quàm in N. T. verbum *justificandi* & vocabulum *justificationis* (intelligo autem æquivalentia in linguis originalibus, Ebraicum *hizdik* & Græcum *δικαιόω*, cum eorum derivatis nominibus) communiter opponi condemnationi, & accipi significatione forensi, hoc est, spectare ad iudicium in quo sicitur reus & ab actore accusatur, adhibitis argumentis & testibus: & Iudex sententiam pronunciat, qua accusatus vel condemnatur vel absolvitur.

7. Quod probatur sequentibus argumentis invictissimis. 1. Quodcunq; vocabulum i. notat actum iudiciale, 2. in quo est Reus, delictum seu debitum, chirographum, aecusator, testis, tribunal, advocatus, mediator, iudex, gratia seu misericordia, absolutio & remissio peccatorum, damnatio, &c. 3. Alia eidem æquipollentia itidem sunt iudicialia, illud vocabulum est iudiciale seu forense.

Sed vocabulum justificationis est tale. E.
8. Major per se luce meridianâ est clarior, & extra controversiam. Minorem probo. 1. Vocab. justificationis in præsentate argumento nostro notat actum iudiciale, Psal. 143. v. 2. Job. 9.

v. 2. 3. 2. *In quo est debitum.* Matth. 18. v. 24. c. 6. v. 12. *Reus* (homo peccator,) Matth. 5. v. 21. & 22. Marc. 3. v. 29. Rom. 3. v. 19. Iac. 2. v. 10. [qui delinquit, Rom. 3. v. 10, 23. quidebet, Matth. 6. v. 12. c. 18. v. 24. Coloff. 2. v. 14. Nectamen solvere nec rependere potest, Iob. 9. v. 3. Matt. 18. v. 25. Ideoq; peccata sua confitetur, Psal. 32. v. 2. Ef. 64. v. 6. Dan. 9. v. 5. 6. 1. Ioh. 1. v. 9. & simplex misericordiam orat. Psal. 25. v. 6. 7. & Psal. 143. v. 2. Matt. h. 18. v. 29. Luc. 18. v. 13.] *Chirographum,* Coloff. 2. v. 14. *Accusator,* (Lex) Rom. 3. *Testis* (Conscientia) Rom. 2. v. 15. *Tribunal,* (Christi) Rom. 14. v. 10, 2. Cor. 5. v. 10. *Advocatus,* (Christus) 1. Ioh. 2. v. 1. *Mediator,* 1. Tim. 2. v. 5. 6. [qui peccata sibi imputata expiat. Ef. 53. v. 5, 6, 10, 11, 12. pro eis intercedit, Rom. 8. v. 34. Eosq; cum parte læsâ in gratiam reducit, Rom. 5. v. 10. 2. Cor. 5. v. 20.] *Iudex* (Dominus.) Ioh. 5. v. 27. Act. 10. v. 42. c. 17. v. 31. 1. Cor. 4. v. 4. & Matt. 25. vbi vocatur iudicium & processus judicialis, *notatur gratia seu misericordia,* Ps. 25. v. 6. 7. & Ps. 103. v. 10. & absolutio seu remissio peccatorum, Ps. 25. v. 11. Ps. 32. v. 1. & Ps. 51.

8. *Æquipollentia sunt eiusdem naturæ: at æquipollentia cum justificatione sunt, solvere,* Matt. 16. v. 19. c. 18. v. 18. *Remittere peccata,* Ioh. 20. v. 23. Rom. 3. v. 25. non vocari in iudicium, Psal. 143. v. 2. *condonari peccata* Col. 2. v. 13. sic Ioh. 3. v. 18. & c. 5. v. 24. & c.

9. *Breviter: Tota salutis series duobus veluti gradibus absolvitur: Cognitione scilicet miseria nostra & fiducia misericordie divina, per Christum impetratæ. Miseriæ tres sunt partes, Offensa, reatus & poena. Misericordie res oppositæ: Remissio culpa, absolutio à reatu & liberatio à poenâ: Processum autem à miseriâ ad misericordiam judicalem esse, ex supra adductis rationibus firmissimis, cuius innotescere potest.*

10. 4to. Si *Contrarium justificationis, judicalem & forensalem habet significationem, etiam habebit eam vox iustifi-*

stifi-

stificationis: Hoc certum est ex naturâ *Ευαγγελίου*, quæ signatur â Philosopho, l. 1. Post. c. 10. At contrarium; scilicet accusatio, ligatio, execratio, & condemnatio habent talẽm significationem, Rom. 5. v. 16. c. 8. v. 33. & 34. Matth. 12. v. 37. & 16. v. 19. & c. 18. v. 18. Marc. 16. v. 16. Ioh. 3. v. 17. 18. 2. Cor. 3. v. 9. Gal. 3. v. 10.

11. 5to. Constat è methodo Epistolæ ad Romanos, in quâ doctrina de justificatione ex professo tractatur, quæ methodus tota est ad processum iudicarium directâ, & in quâ requisita iudicij conspiciuntur.

12. 6to. Nec ex Adversarijs quidam, rei evidentiam convicti, aliter Paulum potuerunt explicare. *Verbum justificandi in hoc loco, inquit Toletus, in c. 8. ad Rom. v. 33. in eâ significatione accipitur, quæ est opposita antitheto, nempe condemnationi, ut idem sit hoc loco justificare ac justum pronunciare, sicut Iudex suâ sententiâ innocentem absolvit & pronunciat, quâ significatione etiam accipitur in multis Scripturæ locis.* Idem antea docuerat Adamus Sasbout in eundem locum. DEUS est, inquit, qui justificat, id est, qui â peccatis & ab intentata actione absolvit. Cornelius à Lapide, qui aliàs omnem movit lapidem ad illudendum Scripturæ in ista doctrina, hic etiam accedit ad Toletum, DEUS, inquit justificat, id est â peccatis, & ab intentata peccati & Dæmonis actione absolvit, justosque pronunciat, quæ Verba retinuit Iohannes â Gorcum, & Dominicus â Soto in eundem locum. vide Amesij Bellarm. Enerv. de justif. pag. 138. & Riv. Cath. Orthod. tract. 4. p. 427.

13. Manet ergo verbi JUSTIFICARE forensis significatio, nisi fortè forensis ideò non sit, quia hauri valet in foro Romano: in quo tamen ea, quæ circa hoc thema proponuntur, conciliari nequeunt, id quod accuratius consideranti apparebit.

14. Dicunt enim Pontificij justificare esse justitiam infundere, & simul affirmant, bona opera justificare, atqui bona opera non infundunt justitiam, vel Bellarm. teste. l. 2. de

de just. c. 15. Concilia. Vel, si vis aliter. Dicunt unam tantum esse formalem justificationis causam, idq; in Concilio Trid. decretum Sess. 6. c. 7. & à Bellarmino repetitum l. 2. de just. c. 15. At infusio justitiæ & bonorum operum productio non est una forma, ibidem Iesuita affirmante, quare aut infusio justitiæ non justificat, aut bona opera non justificant. Concilia si potes.

15. Quantum ad ALTERUM, quid sit justificari fide, absq; operibus legis? Considerandum est, quid sit fide justificari, & quid sit, absq; operibus legis justificari.

16. Ad primum quod attinet, Phrasis hæc, *justificari fide*, non potest intelligi de justificatione per fidem ut per habitum vel per dispositionem ad habitum, ut Sophistæ torquent. Nam quocunque nomine ille habitus vel ea dispositio appelletur, sub lege operum continebitur: nulla siquidem dispositio bona vel habitus bonus animi vel cordis, vel voluntatis est, quem lex naturalis & scripta non præcipiat expressè vel implicite, quique ad opera non referatur.

17. Propterea hunc Adversarij opponimus syllogismum. Fide justificamur, aut habitualiter aut relatè: non habitualiter, quod modo fuit demonstratum: Relatè igitur, Phrasi nimirum metaleptica, quâ effectus causæ principalis tribuitur instrumentali.

18. Frustra etiam nobis objicitur, nos credere fide tantum mortuâ: Nos enim cum de fide justificante loquimur, intelligimus eam quæ per charitatem operatur, eamque distinguimus ab omnibus aliis fidei acceptionibus.

19. Hic probè notandum, vocabulum fidei dupliciter considerari, quatenus sc. est Qualitas, vel quatenus se habet relatè, & objectum suum Christum apprehendit: pro qualitate sumpta, non justificat nos, nempe propriâ dignitate suâ & merito sed justificat, tanquam instrumentum, recipiens & applicans nobis imputatam Christi justitiam: sicut

B

Ver-

verbi gratia, aratrum dicitur beare colonum, non absolute, ut est lignum aliquanti pretij, sed ut est organum agriculturae, quo colonus opes acquirit.

20. Quod rectè nobiscum explicat Cardinalis Contarenus, Tractatu de justif. *Debetur, inquit, fidei justificatio, non quod mereamur justificationem per fidem, & quia credimus, sed quia accipimus eam per fidem. Sic enim Apostolus ad Galat. accipientes pollicitationem Spiritus per fidem. In Epist. ad Hebr. accedentem ad Deum oportet credere, eò quod credendo accedimus ad hunc accessum. Hanc acceptationem, ab Apost. dictam, B. Thomas in 3. parte appellat applicationem, inquit, Christi passionem esse veluti medicinam communem, quam quilibet sibi applicat per fidem. Item. Fide justificamur non formaliter, quod scilicet fides inhaerens nobis, efficiat justos. sicut albedo efficit parietem album, &c. Sed vera est propositio, si capiatur efficienter, sicut linitio efficit parietem album; sic, vel non dissimili ratione, fides efficit hominem justum: neque per fidem intelligimus habitum, sed actum. Hæc Contarenus. vide Cath. Orthodox. Riveri tract. 4to. quaest. 10. p. 413.*

21. Fides igitur, in anima nostra regenerata, circa spiritalia & æterna, eodem officio fungitur, quo manus nostræ & sensus naturales circa temporalia & externa, neque manus nostræ, neque gustus, neque tactus per se nos nutriunt, sed recipiunt & gustant cibos, quibus alimur: quatenus ergo accipiunt & applicant alimentum, quod aliunde habemus, alere dicuntur. Sic justificamur per fidem, sed non propter fidem, vel ex ipsius dignitate & merito.

22. Neque tamen ex conjunctione inseparabili, veræ fidei cum charitate & bonis operibus, quæ in anima fidelis non divellimus, sequitur statim ea nos justificare, quemadmodum fides justificat. Non enim quicquid alicui causæ conjungitur, etiam indivulsè, cum eâ agit ad productionem cujuslibet effectus.

23. Cape tibi exemplum. Manus non est sola cum scribit, oculus non est solus cum videt, sola tamen manus literas exarat aut pingit, solus tamen oculus videndi facultatem

tem

tem habet. Etsi enim hæc separata, amittant vim suam, nec possint suum producere effectum, solæ tamen sunt, & adæquatæ talium effectuum causæ.

24. Quemadmodum enim (simile est perillustre Rev. & Præclar. Dn. D. Lucæ Osiandri Patroni mei Magni, in defenf. refut. tertiæ propos. Costerianæ, pag. 312.) in igne simul est calor & splendor, quæ duo separari non possunt, interim cum quæritur, quid sit in igne, quod lucet, non calor, sed splendor dici potest; cum quæro, quid sit in igne quod urit, non splendorem, sed calorem respondebitur. Pariter & simul sunt fides, spes & charitas, ubi quod cuiusque est proprium tribuimus cuique, haud separamus.

25. Diversimodè itaque consideratur, fides vel in personâ justificati vel in actu justificandi. In personâ justificati sola non est, cum verax omnium virtutum sit radix & initium, easque producat. In actu autem justificandi, sola est instrumentum recipiens, itaque sola recipit.

26. Quid autem D. Apostolus in hoc loco per opera legis intelligat, Pontificij non minus inter se, quàm à nobis dissentiant, & ita fluctuant, ut ubi tandem pedem fixuri sint, vix divinando conijcere possis. Quidam enim opera legis pro operibus legis ceremonialis exponunt, ut Ioh. Paulus Windeck in disp. de justif. Friburg. habitâ, Anno 1610. th. 33. & seqq. aliquot argumentis probare conatur, hanc explicationem, quâ per opera legis tantùm ceremonialia intelliguntur, non esse improbabilem. Alii, ut etiam Bellarm. hanc priorem sententiam deserunt, ea tantùm opera excludi putant, quæ fide præcedunt, & quæ solis liberi arbitrii viribus fiunt.

27. Sed hos omnes hoc unico syllogismo sic refutamus. Per quam legem est agnitio peccati, Rom. 3. v. 20. quæ per fidem stabilitur, v. 31. secundum quam totus mundus fit reus DEO v. 19. quæ iram operatur, c. 4. v. 15. ex quâ

ipse Paulus didicit concupiscentiam esse peccatum, c. 7. v. 7. quæ habet additum fulmen divinæ maledictionis, Gal 3. v. 10. Ea lex, & eius legis opera, à circulo justificationis excluduntur, At ea lex non tantum est ceremonialis, sed etiam moralis. E. lex quoque moralis & omnia legis istius opera, ex circulo justificationis excluduntur. Quam sententiam etiam approbat Cardinalis Cajetanus in cap. 3. ad Rom. & Vasquez, ubi supra, c. 8. num. 73. *Paulus inquit, nusquam concessit talia opera, atq; idè exclusit ea à nostrâ justificatione, quia nullius valoris & efficacitatis apud Deum sunt, ut aut per se justificent, aut impetrent justificationem.*

28. Manet igitur, quod Tertium est, nos SOLA FIDE justificari. Vbi quaeritur, An rectè dicamus hominem SOLA FIDE justificari? Nos affirmamus, quia veræ & necessariæ sunt causæ, quare retinenda sit exclusivæ, SOLA FIDE; scilicet 1. Ut tribuatur honos debitus Filio DEI, quod sola hostia sit pretium pro nobis. 2. Ut conscientia firmam habeant consolationem. 3. Ut conspiciatur discrimen legis & Evangelij. 4. Ut Invocationis Pluriphoria non impediatur, quam intuitu Imperfectionis nostræ impediri necesse est: ubi e contra quod solâ fide in Christo nititur, eam credendo apprehendit in Christo perfectionem, in quâ nulla prorsus locum habet Imperfectio. Negant Adversarij Papistæ, & B. Lutherum hoc in loco falsatorem fuisse unanimiter (sed falso) clamitant.

29. Summam enim B. Luthero fieri injuriam, inde probatur 1. Ab officio boni interpretis, cujus non est Verbum verbo reddere, sed sensum sensui adæquare, cum prius sit interpretis indiferti, teste Cic. l. 3. de fin. n. 15.

30. 2. Proprietate germanicæ linguæ, (de quâ lege Tom. 5. Ienens. Germ. p. 140. & seqq. ejusdem epistolam e-regiam) optimè potest excusari.

31. Insuper exempla possumus producere similia, Deut.

Deut. 6. 13. Moses inquit, DEO servies, audi reddentem Christum Emphaticè: SOLI DEO servies, Matth. 4. v. 10.

32. Quin particulam *ἐξ ου μὴ διὰ τῆς εὐσεύς* apud Apost: ad Gal. 2. v. 16. (qui locus nostro est adjungendus) idem valere ac solâ fide, ex hoc exemplo clarissimum. Marc. 13. v. 32. legitur, *εἰ μὴ ὁ Πατὴρ*, nisi Pater, quod Matth. 24. v. 36. Explicatur, Nisi Solus Pater.

33. Neque præter id B. Lutheri versio destituitur exemplis translationis *Syriaca*, ut Rom. 4. v. 5. Græcæ, Gen. 3. v. 11. *Latina*, Lev. 21. v. 2. Deut. 6. v. 13. & c. *Germanica*, de hæc ante B. Lutherum adornatâ testatur D. Menzerus in Exeg. Aug. Conf. art. 4. p. 182. se Confluentiæ in Bibliothecâ Jesuitarum vidisse antiqua Biblia Germanica, in quibus Rom. 3. particula exclusivæ extiterit, *Allein durch den Glauben ohne die Werk der Chr.* *Italica*, in quâ manifestè hæc Verba sunt expressa: ma SOLO per la fide di Gesu Christo.

34. Nec Lutherus primus fuit, qui SOLA fide hominem justificari docuit: sed hæc doctrina primorum Ecclesiæ Patrum temporibus, jam fuit usitata. Nimirum *Iustini*, in Epist. ad Diognerum. *Irenæi*, l. 4, c. 13. *Origenis*, in c. 3. ad Rom. *Hilarij*, l. 6. de Trin. *Basilij*, homil. de humil. *Ambrosij*, in cap. 1. pr. ad Cor. *Chrysofomi*, in cap. 3. & 8. ad Rom. *Augustini*, lib. 1. contr. duas epist. Pelagij. Ex Pontificiis. *Thoma* in 1. Tim. 1. lect. 3. *Bonaventura* in 7. sent. dist. 15. q. 1. *Gloss. Ordinarij*. in Epist. Jacob: offenditur etiam in ipso jure pontificio, de Consec. Distinct. 4. c. 3. cap. firmissimè. Hinc *Erasmus*. Verè, vox SOLA tot clamoribus lapidata, hoc seculo in Luthero: reverenter auditur & legitur in Patribus. Vide Waltherum in præfation. Harmon.

35. Vnde Titelmannus Elucid. Paraphrast. in c. 2. ep. ad Gal. NISI, PRO, SED TANTUM exposuit. Cum igitur inquit, credamus firmiter, quod ex operibus legis nemo potest coram Deo justificari, SED TANTUM per fidem in Christum. Vbi NISI accipitur PRO NON NISI. Et *Esthius*, Constat vocabulum NISI frequenter adversativè sumi.

mi, ubi idem valeat, quod, sed tantum: ubi addit, omnes interpretes Græcos & Latinos huic interpretationi consentire, eamque ex sequentibus colligi & ex cap. 3. ad Rom. Adamus Sasbout in eund. locum c. 2. ad Gal. scribit, Si queras an ex propositione ista, homo justificatur non nisi ex fide, inferatur. Ergò SOLA fide justificamur? dicendum quod sic. Et paulò post, Hac nostrâ tempestate Catholici Scriptores nullo modo illam propositionem ferunt, putantes, venenum esse in voculâ [SOLA] & propterea abstinendum, Veteres tamen non ita abhorrent à voculâ [SOLA], sed nec Thomas abhorrere videtur. si qui inquit, in Veteri lege justî erant, non erant justî ex operibus legû, sed SOLVM ex fide IESV Christi. Rivet. in Cath. Orthod. tract. 4. p. 415.

36. Hinc manifestum evadit, Romanenses summam in interpretatione Scripturæ proderè inscitiam, quando B. D. Lutherum, ob locutionem hanc symbolicam, (SOLA FIDES JUSTIFICAT) ad eò immaniter flagellant & adversus Ecclesias nostras tumultuantur; cum tamen phrasis hæc sit è Scripturis desumpta, à Parribus usurpata, & necessariâ ratione suffulta.

37. Hinc ex ijs, quæ jam dicta sunt, *ἀποδεικνύσας* concludo: quod exclusivè justificat, illud solùm justificat. Fides apprehendens gratiam Domini nostri Iesu Christi, exclusivè justificat, E. Fides sola justificat.

38. Assumptio tùm ex jam clarissimè demonstratis, tùm ex omnibus de hoc Articulo disputationibus patet, in quibus non nisi fidei justificatio tribuitur; & lex, opera atq; virtutes humanæ ab universo causarum gyro, quàm apertissimè excluduntur, quod & antea fuit ostensum. Dent jam Adversarii aliquid quo justificemur, quod non his exceptionibus excludatur, certè non possunt.

39. Objiciunt quidem Romanenses, salutem nostram etiam aliis tribui virtutibus, utpote Charitati, Luc. 7. v. 47. vbi mulieri dicuntur remissâ esse multa peccata, quia multum dilexit.

40. Verùm nos respondemus: Hunc locum non intelligendum esse à priori, sed à posteriori, argumento ducto ab effectu ad causam, non à causâ ad effectum: Dilectio itaque est argumentum fidei, alioquin si mulier illa *dilexit multum* priusquam accepisset remissionem peccatorum, sequetur charitatem in eâ fuisse ante justificationem, quod ipsa respuit Schola Romana. Quod ipsum etiam parabola à Christo adducta, luce meridianâ clariùs docet.

41. Hic duos habemus nobiscum sentientes Iesuitas: Cardinalis enim Toletus in c. 7. Luc. annot: 73. Sic paraphrasticè exponit dictum Christi. *Tu enim iudicasti, Simon, & quidem rectè, cui multum dimissum est, multum diligere ac magis gratum erga creditorem esse debere, ubi ergò multa ista dilectionis signa apparent, judicandum est, magnam PRAECESSISSE peccatorum ac debitorum remissionem.* Probat hanc interpretationem, tum autoritate Gregorij L. 6. Ep. 22. tum ex sequentis sententiæ collatione; ostenditque argumentum esse ab effectu gratitudinis & dilectionis magna signis. Idem statuerat antea Alphonsus Salmeron, in 1. Ioh. 3. dif. 23, sect. nos scimus. *Argumentum est, inquit ab effectu & signo, cuius quidem argumentationis plura extant in Scripturis exempla.* Riv. in Cath. Orth. rr. 4. p. 417.

42. Non ergò favet Adversariis locus hic, nec magis quando à præcellentia charitatis argumentantur. Dicimus enim fidem justificare non ratione excellentiæ suæ vel dignitatis, sed quatenus gratiam in Christo quærit & apprehendit, tanquam instrumentum. Si diceremus fidem justificare meritoriè, locum habere posset objectio de charitatis supra fidem præcellentia; sed argumentum adversus sententiã nostram non valet.

43. Quemadmodum enim non sequitur, si oculi excellant supra os, igitur ad cibos recipiendos esse aptissimos; vel si Rex sit præstantior sartore suo, melius etiam posse vestes consuere, vel cum aurum sit longè præstantius pane,
ideo

ideo ad nutriendum magis aptum. In his dignitas nihil facit, sed institutio aut artis peritia. Nec etiam in effectu justificationis dignitas fidei est ponderanda sed Dei institutio.

44. Concludimus hæc cum insigni hoc D. Pauli effato: *Hominem justificari Fide absq̄ operibus legis.* Hancque fidem neque solam neque otiosam esse, solam tamen applicare Christi justitiam.

45. Nam advertendum est, fatente Toletio Jesuitâ in c. 3. ad Rom. (citante Riv. ibid. p. 426.) fidem non habere ex se efficaciam ullam, ut actus quidem noster est, remittendi & reconciliandi, sed virtutem totam procedere ex objecto ipso, nempe Christo, cujus virtutem & meritum disposuit Deus per fidem in ipsum, applicare peccatori ad justificandum.

46. Iuxta hanc Dei ordinationem tribuimus fidei, quod fidei est, eique soli, falli tamen dicimus eos. qui fide mortuâ, sibi vitam perpetuam pollicentur. August. de fide & operibus c. 14.

47. In quâ verâ fide in Christum unicum mediatorem & Salvatorem nostrum, ut ad finem usque constanter perseveremus, & finem fidei, salutem animarum reportemus, faxit Sacro Sancta Trinitas, cui sit laus, honor & gloria, in sempiterna secula, A-

men.



Gra-




Gratulatoria Acclamatio,

A D

Præstantissimum & Literatissimum Dominum,


M. IOHANNEM FRIDERICVM SELLIN-
GERVM, SACRO-SANCTÆ THEOLOGIÆ
CANDIDATUM, AMICUM SUUM, DE IUSTIFI-
catione hominis peccatoris coram Deo,
publicè disputantem.



Justificat Pater: at meritis nos Filius ornat
Ipse suis: Verùm hæc, applicat alma Fides,
Iustitiæ & Vitæ, sola est ea semita Veræ;
Quam citra aut ultra, non datur ulla salus,
Cuj propugnandæ dum SELLIGER arduus instas;
Egregiam laudem, cum pietate refers.

scripta, à

*Luca Osiandro, S. S. Theologiae Doctore &
Professore, Cancellario, in alma Tubin-
gensium Academia.*



Teulogia ad summum divini rosis amore
Tende gradum, & Christum discere perge tuum.
Quæ fecit, docuit: facias, doceasq, fidelis:
Crescat ut inde DEI gloria, laus & honor.

C

Man-

*Mandarū hominum te subtrahē: Crede factato
Christi Evangelio, justificatus eris.*

M. E,

Johann. Ulricus Pregitzer. D.

Ad Reverendum & praestantissimum Virum:

D. N. JOHANNEM FRIDERICUM SELLINGERUM,
Amicum suum peramandum, pro supremis in SS. Theologiae hono-
ribus consequendis, solenniter de Iustificatione dispu-
tantem.

DVM bene dissertas, mortales justificentur
Quomodo: rem justam, IAN-FRIDERICE, facis.
Rem certè justam facis, & justè celebrandam,
Doctrinae & dignam, sorte favente, gradu.
Ergo tibi justè summos hos grator honores:
Ecclesia unde sibi commoda justa ferat.
Illi, juste Deus, parce; ac hæc tempora belli
Injusti averte; & tempora dira famis.
Præsta, juste Deus, post longa incommoda vitæ,
Gaudia: speratam tu Deus affer opem.
Hinc omnes tua cantabunt præconia: cuius
Exuperant omnem tot benefacta modum.

F. Honoris atq; amica congratulationis

ergo,

Johannes Harpprechtus, I C. &
Antecessor Academiae Tub. Ordina-
narius, Anno ætatis 78. Professionis
verò publicæ 46.

